



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 56. Pisana Synodus Mediolanum translata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

§. LVI.

*Pisana Synodus Mediolanum
translata.*Sæcul. XVI.
A C. 1511.

Cunctis hisce rationibus permoti Patres Concilii locum mutare statuunt, atque in tertia Sessione illud Mediolanum transferre decernunt, ibidem continuandum, donec de tuto, commodo, ac communi loco cum Pontifice consensissent, ne vero interruptum censeretur, ad decimam tertiam Decembris diem Sessio indicta est, sancitumque, quod Patres saltem octava ejusdem mensis die Mediolanum convenirent, atque eo delati mox Cardinalem S. Crucis Præsidentem adirent, ac de negotiis in proxima Sessione tractandis deliberarent: cum vero Patres Synodi locum mutasse, Pisisque excessisse brevi fama Mediolanum detulisset, urbis clerici ac Religiosi vexilla, Crucemque præferentes, hymnosque decantantes obviam procedebant, quos ipse etiam Senatus, Magistratus, Collegia, ac innumera hominum frequentia usque ad civitatis portam comitabantur, ut ibidem Cardinales, Prælatos, ceteraque Synodi membra honorifice exciperent (*).

*In aff. Pis.
Conc. p. 105.
Raynald. hoc
ann. n. 42.*

S 3

Hoc

(*) De hac solempni receptione altum ubique silentium, Guicciardinus lib. 10. apud Raynaldum

Sæcul. XVI. **A.C. 1511.** Hoc itaque comitatu illos sonantibus omnibus campanis, tubisque, per plateas auleis ornatas ad Ecclesiam deducebant, ubi decantata Antiphona de Spiritu Sancto, Præses populo bene precabatur, ac demum singuli ad suas ædes revertebantur.

§. LVII.

Helvetiorum irruptio in Mediolanensem statum.

Guicc. l. 10. *Card. Bembo* *hist. Venet.* **P**ostera die octava Decembris Concilii membra in ædibus Cardinalis S. Crucis convenerunt, ut adversus Helvetios, qui

dum l. c. testatur, quod horum seditiosorum ingressu Clerus Mediolanensis funestatam urbem arbitratus, mox sponte templa clausit, sacrorumque usu abstinuit, tum fideles hosce rebelles, præcipue vero Bernardinum Carvajalum publicis maledictis devoverint, dicentes, cum alias Concilia ad conglutinandas Ecclesie dississas partes instituta essent, hoc Conciliabulum ad schisma creandum, confundendamque Ecclesiam congregari. Nec ipse Cardinalis de Prietujus literæ exstant in appendice auct. Concil. Pisan pag. 162., populum in factiosum hunc conventiculum tumultuasse dissimulat. Ast huic conciliabulo saltem magnificis verbis auctoritatem conciliare oportebat.